Psalmus responsorius

Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6 (℟.: 3)

℟. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis.

2 Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Et hauriétis aquas in gáudio
de fóntibus salútis. ℟.

4b Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit;
notum sit hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.